



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Quæstio II. An magi extent, & ope dæmonis mira patrare possint?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40701**

mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne teneatur? S. AMBROSIUS videtur solum negasse ab igne infernali excitari flammæ corporales ejusmodi, quæ eo modo crucient animas, quo corpora torquentur; aut certè excusandus est, eo quod veritas hæc eo tempore satis necdum fuerit declarata. S. DAMASCENUS non negabat inferni ignem corporeum, sed solum materialem ejusmodi, quæ ligno, sicut noster ignis, foveri debeat. Cæterum sententia, quam Patres fere omnes tenent, non ideo robore suo destituitur, quod unus alterve oppositum docuerit.

*Obj.* III. Sit igitur inferni ignis corporeus: an ideo dæmones ab eodem torquentur? immo quia corporeus est, spiritus affligere nequit. *Resp.* Ignem hunc diabolo, & angelis ejus paratum esse in pœnam peccati, docet Christus: proin certissimum est, eundem dæmonum afflictivum esse. Veris igitur, quamvis miris, modis ab igne torquentur & animæ separatae, & mali Angeli. Hos autem veros & miris pœnæ igneæ modos an tu experiri voles, & in omnem subire æternitatem?

### Q U A E S T I O II.

*An Magi extent, & ope dæmonis mira patrare possint?*

31. **M**agia diabolica ex Sacris Paginis, ex Jure Canonico, & Civili ostenditur. Nam Lev. 19. Deus præcepit Israëlitis: *Non declinetis ad magos.* Et c. 20. *Anima, quæ declinaverit ad magos . . . interficiam illam de medio populi sui.* Jus Sacrum XXVI. Q. 5. c. 5. quod ex Concilio To-

LETA-

LETANO IV. desumptum est, ita statuit: *Siquis Episcopus, aut Presbyter, sive Diaconus, vel quilibet ex ordine Clericorum, Magos, aut Auspices, aut Incantatores, aut Ariolos, aut certè Augures, vel Sortilegos, vel qui profitentur artem magicam, aut aliquos eorum similia exercentes consuluisse fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ depositus, pœnam Monasterii suscipiat, ibique pœnitentiæ perpetuæ deditus, scelus admissum sacrilegii solvat.* Consentit l. 6. C. de Maleficis cit. num. 28. Quæ autem mira fecerint Magi coram Pharaone Aegypti Rege, refert MOYSES Exod. 7. v. 11. & seqq. Vocavit autem Pharaon sapientes, & maleficos: & fecerunt etiam ipsi per incantationes ægyptiacas, & arcana quadam similiter: projeceruntque singuli virgas suas, quæ versa sunt in dracones. Ubi MOYSES percussu virgæ aquam mutavit in sanguinem, fecerunt similiter malefici Aegyptiorum incantationibus suis. Denique & ipsi eduxerunt vanas super terram Aegypti. Quæ mira patraturus sit Antichristus, docet Apostolus 2. ad Thess. 2. v. 9. Cujus (Antichristi, hic enim est filius perditionis, & homo peccati, de quo v. 3., qui tum demum veniet, ubi discessio facta fuerit à Romano Pontifice, & Romano Imperio, ut interpretatur MENOCHIUS) est adventus secundum operationem Satanae, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus. Christus ipse Matth. 24. v. 24. Surgent Pseudochristi, & Pseudoprophetae, & dabunt signa magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Hujusmodi autem signa & patrata hæctenus, & deinceps patratum iri

ope

ope dæmonis, quis neget? igitur homines ope dæmonum mira efficere possunt; proin extare magiam diabolicam certum est.

*Respondetur ad objecta.*

*Obj. I.* Concilium BRACCARENSE I. in Sec. VI. dixit anathema illis, qui dicunt dæmonem fulgura, tonitrua & tempestates facere; igitur dæmoni nulla est potestas in res sublunares, nec illas movere potest, proin nec mira facere. *Resp.* Concilii laudati Canon. 8. sic habet: *Siquis credit, quòd aliquas immundas creaturas diabolus fecerit, & tonitrua, & fulgura, & tempestates, & siccitates ipse diabolus suâ autoritate faciat, sicut Priscillianus dixit; anathema sit.* Igitur damnatus fuit error Priscilliani dicentis, diabolum nunquam fuisse bonum, neque à Deo creatum, sed omnis mali principium esse. Et sanè falsum est, similia mala dæmones autoritate suâ facere posse, quæ non nisi permittente Deo ab ipsis aliquando fieri solent.

*Inst. I.* Nequit intelligi, quo pacto dæmones ciere mala hujusmodi queant. *Resp.* Dæmones quæcunque extra se agunt, operantur vel actione immediatâ per motum localem; vel mediatâ, applicando activa passivis per veram alterationem, sæpe etiam sensibus illudendo. Et quidem Angelos virtute suâ naturali movere corpora localiter posse satis innuit Scriptura, ex qua constat Angelos assumere corpora, & cum eis moveri, ut patet de Angelis, qui apparuerunt Abraham Gen. 18. & Loth. Gen. 19 de Raphaële, qui comitatus est Tobiam; de Gabriele, qui in specie visibili B. Virgini apparuit. Sic etiam  
Ange-

NATURAE ANGELICAE. 61

Angelus tulit *Habacuc* in Babyloniam ad lacum leonum. Et *Luc. 8.* Christo permittente, dæmones ingressi porcos, eos in stagnum præcipitarunt: & sæpe aliàs Energumenos miserrimè divexarunt. Hæc tamen potentia loco motiva Angelorum omnium divinæ voluntati perfectè subordinata est, ut adeo ea duntaxat corpora, & eo solùm modo localiter movere possint, quæ & in quantum Deus permittit, nam nec in porcos ingredi absque permisso Salvatoris poterant. Cæterà movere corpora motu locali potest dæmon velocissimè. Unde fit, ut rem aliquam oculis subtrahat, aliamque substituât tam præproperè, ut animos oculosque intuentium fallat, eisque persuadeat prioris in posteriorem hanc subitam conversionem. Tales credendæ sunt Gentilium metamorphoses. Atque hi & similes effectus *præstigiatorii* sunt. Alii autem *veri*, quos dæmon producit mediatè, activa videlicet passivis applicando, sicque operando mira, quorum causæ quidem naturales, at nobis incognitæ sunt. Videt nempe dæmon naturalium rerum omnium substantias, & proprietates peculiâres singularum perspectas habet, opportuna novit applicandi tempora, solertiæ & artificii vix est quidquam, quod ignoret. De naturali enim perspicacia ut nihil commemorem; quid esse dicemus, quod diurnâ & assiduâ experienciâ adsecutus non sit? nec dæmonem latent, quæ homines excogitarunt unquam, aut salubriter doctèque exercuerunt. Huc pertinent damna vel hominum, vel animantium sanitati illata, aut etiam subitæ vulnerum & morborum curationes.

*Inst. 2.* Quid prohibet omnes dæmonum effectus præstigiatorios dicere? *Resp.* Hisce num etiam accen-

sebis miseras & calamitates, quibus vexatus fuit S. *Job*? an meras sensuum deceptiones putabis porcorum in stagnum præcipationem? an merè deceptos dices energumenos, qui, ut S. Evangelia perhibent, dirissima passi sunt? eos itaque effectus præstigiatorios meritò dixeris, qui neque à motu locali oriuntur, neque causarum naturalium viribus commensurantur, sed illas excedunt, veluti suscitatio mortui, aut sanatio cæci à nativitate. Item si mox iterum evanescant, nec duratione suâ veritati suffragentur, ut cum magi videntur discerpere equum, quem mox sanum restitunt.

*Inst.* 3. Ergo etiam magi ope dæmonum edere poterunt prodigia. *Resp.* At nonnisi falsa, & potius mira: veri enim prodigii nomine venit omnis ille effectus, qui præter & supra naturæ creatæ vires producitur, uti cæco nato visum reddere, mortuos suscitare. Atque hi & similes solum habere Deum Autorem possunt. Quocirca Christus divinitatem suam operibus suis & miraculis sat comprobata Judæis testatus est. *Mirum* autem à *miraculo* discernes, si effectus rei creatæ naturam viresque superet; erit enim tunc verum miraculum. Si effectus non habeat propositum sibi finem bonum, sed malum, veluti meram curiositatem, vel quid aliud bonis moribus aut veræ Fidei repugnans, mirum erit. Atque ex hoc capite ostenditur, stupenda illa *Antichristi* opera non miracula vera, sed falsa prodigia esse futura. Præterea dæmonum mira sæpe deficiunt in minimis, Dei autem opera perfecta sunt: evanescent illa veris miraculis supervenientibus, uti virgæ magorum devorata à virgâ *Moyfis*; & oracula dæmonum coram sanctis hominibus

NATURAE ANGELICAE. 63

nibus obmutuerunt. Denique miracula fiunt per apertam & seriam Dei invocationem, mira autem magorum admixtis semper absonis, ridiculis aut superstitiosis precibus vel signis.

*Inst.* 4. Eadem erant opera *Mouffis*, & magorum. *Exod.* 7. *Resp.* At non omnia, & pauca, quæ magi faciebant, non verè, sed apparenter eadem dicere fas est. Nam MOYSIS vel AARONIS virga verè in colubrum, Deo operante, versa est, non ita virgæ magorum, sed dæmones, spectatoribus non advertentibus, virgis celerrimè subtractis serpentes mole aequales supposuerunt; ut adeo maleficorum virgæ non rei veritate, sed hominum adstantium opinione in dracones versæ dicantur, quos tamen serpens, in quem virga *Aaronis* conversa fuerat, devoravit, ut mox pateret omnibus, virtutem, qua miraculum per *Mosen* patratum fuerat, altiore esse illâ, per quam magorum virgæ in colubros versæ videbantur. 2<sup>o</sup>. Dum MOSES virgâ percussit aquam fluminis coram *Pharaone*, illa in sanguinem versa est, & fuit sanguis in tota terra *Aegypti*. Malefici autem parum duntaxat aquæ in Aula Regis fortassis reliquæ in sanguinem verterunt, h. e. dæmones aquæ limpidæ aquam in sanguinem jam versum celerrimè substituerunt; & hanc ipsam aquam sic immutatam in priorem statum sensibilem restituere non valuerunt, sicuti à *Mose* factum est. Similiter ranas eduxerunt magi ope dæmonis, quin eas iterum abegerint; quas autem *Mouffis* eduxerat, ad ejusdem preces mortuæ sunt de domibus, & de villis, & de agris. Certè ipse *Pharao* cum *Aegyptiis* suis agnoscebat virtutem quamdam superiorem, qua *Mouffes* & *Aaron* prodigia sua faciebant, post tertium

tium

rium enim prodigium sponfionem *Moyfis* admifit; qua ille ranas expulfum iri pollicitus fuerat. Quin ipfi magi cum ciniphes producere non poffent, exclamarunt: *Digitus Dei est hic. Exod. 8. v. 19.* Pœnam ulcerum malefici non minùs, quàm ceteri experti funt. *Nec poterant malefici stare coram Moyfe propter ulcera, quæ in illis erant, & in omni terra Aegypti. Exod. 9. v. 11.* Cumque *Mofes & Aaron* affligerent terram Aegypti, magi *Pharaonis* populo Dei in terra *Geffen* nihil damni facere poterant. Et quis ita ftupidus fit, ut inter miracula *Mofis*, & mira magorum non difcernat? Ex his iftud ulterius colligere datur, Deum aliquando permittere dæmoni patrare mira, ita tamen, ut non defit aliquid, ex quo dæmonis fraudes intelligi queant. Ipsi adèò Ethnici puram & putidam oraculorum vanitatem non minùs, ac impietatem idolorum, quacum illa arctiffimè conjuncta erat, deprehendere poterant, quodfi vel ad illorum fraudes, vel ad impium oracula obtinendi modum, qui à fana ratione atque à principiis honeftatis lumine naturali cognitis maximè alienus erat, (veluti cùm infantes vivi candenti æri includendi efferent, vel aliâ ratione maftandi) fuiffent attentiores. Quamvis id immortalis Dei beneficio confecuti fimus Chriftiani, ut nemo nifi volens præftigiis & miris dæmonum abripi in transversum poffit. Demum haud incongruè ftatuitur regula generalis ifta: *Effectus omnis, quo aut falſi comprobatio, aut approbatio inhoneſti intenditur, certiffimè præſtigiatorius eſt, vel ope dæmonis patratuſ, quando ſc. creaturæ corporeæ vires excedit.* Deo enim summè repugnat, & Angelo beato teſtari falſum, & laudare

NATURAE ANGELICAE. 65

re, quod inhonestum est. Ex opposito autem, saltem probabilissimè, *omnis effectus creaturae corporeae activitatem transcendens, atque in confirmationem veri & honesti productus, Deum vel Angelum bonum Autorem habet.* Quis enim talem effectum ponat? non magus, hic enim intra agentia corporea continetur; an dæmon? at iste in malo ita obstinatus est, ut vel confirmare verum, vel bonum & honestum suo laudare testimonio sponte non velit, nec moraliter possit.

*Obj. II.* Quo igitur modo corpora movere localiter possint dæmones? cur isti causæ duntaxat occasionales dici nequeant? *Resp.* Angelos corpora à se adsumpta movisse localiter, testis est S. Scriptura; igitur & corpora non adsumpta movere localiter possunt, cum dispar ratio non sit. De modo ad TT. nihil attinet dicere. Putat tamen SUAREZ L. 4. de *Angel. pot. c. 31.* Angelum per se immediatè, citra impetum impressum (hunc enim ad motum projectorum duntaxat requiri existimat, ubi movens non est immediatè præsens mobili) movere tum corpora adsumpta, tum alia, quibus proximè adest. Qui verò admittunt impetum ceu causam motûs immediatam, eorum non pauci supponunt, Angelum sese impenetrabilem reddere posse; quo supposito admissio haud difficilè intelligitur, qualiter corpus ab Angelo per impetum impressum moveri localiter queat. Alii de modo explicando parùm laborant, cum res ipsa ex Sacris Literis pateat. Ad Systema occasionale quod attinet; istius juventutem spernunt TT. quibus potior est PP. antiquorum autoritas, Angelos cœlorum motores communiter dicentium. Si Angeli sunt causæ solùm

occasionales, quorsum tot loci Scripturarum iisdem spiritibus motum ita tribuentes; ut movendi sese virtutem illis intrinsecam esse haud obscure significent. Sic *1. Petr. 5.* de diabolo dicitur: *Circuit, quærens quem devoret.* Dæmon ipse *Job. 1.* de se dixit: *circuivi terram.* Christus *Luc. 8.* præcipiebat spiritui immundo, *ut exiret ab homine.* Et *v. 30.* *Dæmonia multa rogabant illum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent.* Item rogabant eum, *ut permitteret eis in illos (porcos) ingredi. Et permisit illis.* Iterum Christus *Matth. 12.* *Cùm immundus spiritus, inquit, exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem, & non invenit: tunc dicit: revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam . . . tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum, & intrantes habitant ibi.* Quæ, obsecro, ratio sufficiens causam hinc merè occasionalem statuendi? adhæc systema occasionale vel omnem agendi vim, vel aliquam duntaxat rebus creatis negat? si *imūm:* igitur neque anima hominis verâ virtute sese ab intrinseco movendi, *h. e.* intelligendi & volendi, prædita est, quod damnatum legimus in Synodo TRIDENTINA *Sess. 6. Can. 4.* *Siquis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passivè se habere, anathema sit.* Non 2dum: quod si enim Deus animæ dedit virtutem propriam movendi se ipsam, id quod intima experientia testatur; cur eidem non dederit virtu-

virtu-

NATURAE ANGELICAE. 67

virtutem movendi corpus, cujus motus ad nutum animæ peraguntur teste eodem intimo sensu? si animæ datum est movere corpus, cur Angelus non moveat? Angelorum sanè vires quamvis humanam virtutem longè superant. Theologus in suo foro paucis ita disputat: Angelos corpora tum adsumpta, tum alia movisse localiter, Scriptura testatur: nulla est ratio sufficiens Systematis occasionalis: ista profectò satis inepta est: nequit demonstrari modus, quo Angeli moveant corpora; igitur per se non movent. Quid enim? si modus nobis incognitus est, an ideo res ipsa in dubium vocanda? Unionem Verbi hypostaticam quæ mens creata intelligat, an ideo Verbum Caro factum non est? Christum verè, realiter & substantialiter sub minima quavis specie præsentem esse, Fides docet: an negabis, quia non capis? Tres sunt in una deitate personæ: quis nisi Deus intelligat? immo plura sunt ipsius naturæ mysteria, de quorum existentia nemo nisi insipiens dubitet: an tu explanabis omnia?

*Obj.* III. Fuerit aliquando tempus, quo dæmones verè hominem obsidere potuerint: sit ista etiamnum potestas dæmonum in homines paganos & infideles; at Christianos huic calamitati obnoxios esse, erronea duntaxat vulgi opinio est. *Resp.* Ampliorem dæmonis potestatem esse in ethnicos, quàm in Christianos, nemo facilè sit, qui neget. Per Lavacrum regenerationis à dæmonis servitute liberati sumus, crucis signo muniti, præventi & adjuti gratiis cœlestibus, sacris mysteriis confortati: sub speciali Numinis providentia tegimur; erecta ubique Crucis Dominicæ tropæa veneramur: hæc procul dubio & similia sunt, quæ malos genios à nobis

arcent. Sed num ideo nullus omnino Christianorum à dæmone infestari possit Deo id permittente? an forsàn animæ Fidelium ab immundis spiritibus continuò non infestantur? cur vexari corpora nequeant? de casibus quibusvis particularibus certi quid statuere tametsi arduum & difficile sit; negare tamen omnes effectus veros à dæmone productos, propè insipientis est.

*Inst.* Igitur veræ quoque & corporales erunt Sagarum ad sua conventicula translationes. *Resp.* Sagas & striges, ubi ad alia sese loca transferri autumant, sapissime decipi, dæmone phantasiæ & sensibus illudente, haud ægre cõceditur. Aliquando tamen veras hujusmodi translationes fieri testatur non constans solùm ipsorum maleficorum confessio, sed varia etiam aliorum experimenta, quibus fides sine temeritate negari vix potest.

### Q U A E S T I O III.

*Utrum omnes Dei apparitiones in V. T. Angelorum ministerio factæ fuerint?*

32. **N**on una hìc Ss. Patrum, & interpretum est sententia. Alii enim censent, Verbum divinum semper apparuisse, adeo ut, quotiescunque Angelus loqui dicitur, per Angelum interpretentur Christum, qui idcirco *Isa 9. magni consilii Angelus* dicatur. Ita S. CHRYSOSTOMUS *Hom. 16. in Acta*, Angelum, qui *Moyse* in rubo apparuisse dicitur, intelligit Filium Dei, & magni consilii Angelum. Alii contra existimant, Deum nunquam apparuisse ante Incarnationem in corpore immediate, & per  
se